

Cap. XXXI. Rubrica de honorando patronos
nostros in die eorum festi.

Ad honorem Dei et eius Matris ac beatorum Patronorum
nostrorum sanctorum Iusti Sergii Servuli Lazari et
5 Apolonaris, qui conservent civitatem nostram Tergesti in pace
et libertate perpetua. Ordinamus quod in qualibet festivitate
ipsorum sanctorum Iusti Sergii Servuli Lazari et Apolinaris
omni anno fiant per comune Tergesti unus magnus doplerius
condecens ¹⁾ et alii doplerii, qui dentur domino potestati iudi-
10 cibus et militibus suis ac iudicibus comunis Tergesti, et alie
candelle ceree prout de predictis dominio Tergesti melius vi-
debitur convenire. ¶ Et in qualibet ipsarum festivitatum ²⁾ con-
gregetur et fiat maius ³⁾ consilium, ad quod consilium omnes
consiliarii ipsius consilii venire debeant, // salvo iusto im- 262 A
15 pedimento, et quelibet alia persona venire possit in dicto con-
silio, quamquam non ⁴⁾ sit ⁴⁾ de dicto consilio. ¶ Et cuilibet
ipsorum consiliariorum et aliarum personarum venientium ad
dictum consilium dari debeat una ipsarum candellarum, qui
omnes duplerii et candelle predictae portari et offerri debeant
20 ad illam ecclesiam sive altare illius sancti, in die cuius festum
celebrab(r)itur. ¶ Et dominium Tergesti cum dictis consilia-
riis ire debeant cum magno vexillo sive confallone comunis ad
ecclesiam predictam. Et supradicti domini potestas et iudices
Tergesti eligere et vocare debeant tres bonos homines qui sint
25 de dicto maiori consilio, quorum unus portare debeat dictum
vexillum ad ecclesiam sancti Iusti, vel alibi ubi festum sancti
celebrabitur, et alii duo associare debeant ipsum portantem ac
sibi adiuvere, in regendo dictum vexillum cum fuerit necesse.
¶ Et celebrata missa ad palatium reddire; qui tres, scilicet
30 portans et adiuvantes, habere debeant de camera comunis duos
grossos pro quolibet ipsorum; quod vexillum nollimus aliquem
ex preconibus Tergesti tangere, tam in eundo quam in redeundo.
¶ Et quilibet consiliarius venire debeat ad dictum consilium.

¹⁾ La sillaba *ce* agg. sul rigo.
marginale.

²⁾ *festinatum*.

³⁾ *maius*.

⁴⁾ Aggiunta